

habeatur id quod scribit *Scavini in op. cit. tract. XI. disp. 1. c. II. n. 2.* ubi hæc habet 'Quando adolescentes, ut sæpe fit, in seminario alienæ Diœceseos studiorum curriculum conficiunt, eos ordinat Episcopus proprius, sed requiruntur testimoniales loci in quo studiis vacaverunt. *S. C. 11. Julii 1840*'. Unde auctor reatinus Commentarii in Const. Apostolicæ Sedis in *cit. loco. not. 45. pag. 78. n. 147.* hæc scribere potuit 'hodie igitur dubitandum amplius non est, eas (litteras testimoniales) petendas esse ab Ordinario ejus loci in cujus seminario ordinandus per id tempus (idest post septennium ætatis suæ) permansit'.

6. Dubium 3. Litteræ testimoniales debentne exigi pro ordinandis, qui vacationum tempus extra Diœcesim degunt, et redeuntes sanctæ vitæ notam a parochio concessam exhibent?

7. Dubium 4. Litteræ testimoniales debentne exigi pro Clericis qui ut Professores aut præceptores extra Diœcesim infra integrum annum degunt? — Respondeo ad utrumque dubium: juxta superius exposita, si commoratio sex menses excesserit, affirmative. Sive enim Const. 'Speculatores', sive Const. Apostolicæ Sedis non respiciunt causam commorationis, sed spatium temporis tantummodo quo commoratio perduravit.

8. Dubium 5. Hujus articuli interpretatio potestne dici ita Episcopi judicio derelicta, ut iste tuta conscientia possit Ordines conferre Clerico, qui diu extra Diœcesim moratus fuerit, dummodo mature omnibus perpensis, moraliter certus sit Episcopus nullam irregularitatem incurrisse clericum? — Respondeo: Negative. Nam quando ipsa lex determinat medium probationis alicujus rei, et præsertim sub comminatione pœnæ vel censuræ illud præcipit, Ordinarius, licet aliunde persuasionem veritatis habere possit, nihilominus non potest recedere a medio probationis legitimæ a lege ipsa definito. In casu autem nostro tum Const. 'Speculatores', tum Const. 'Apostolicæ Sedis' designant litteras testimoniales Ordinarii tamquam medium specificum ad probandam immunitatem personæ a quocumque impedimento canonico ut possit ad Ordines promoveri. Ergo etc.

Ea quæ exposui non excedunt limites particularis et privatæ opinionis adductis rationibus roboratæ. Quod si authentica responsio desideretur, ea a S. Congr. Supremæ et Univ. Inquisitionis exposcenda erit, cui reservatur saltem in praxi interpretatio Constitutionis 'Apostolicæ Sedis'.

## TITULUS XII.

## De scrutinio in ordine faciando.

1. Cum de qualitatibus ordinandorum dictum sit in titulo præcedenti, sequitur titulus de scrutinio, idest de examine instituendo, utrum clerici requisitis qualitatibus sint instructi. Scrutinium ergo a scrutando nihil aliud est nisi examen quo constat de immunitate Clerici a censuris, et de ejus qualitatibus ad sacram ordinationem requisitis.

Scrutinium triplex est; primum et secundum omnibus ordinibus commune est, tertium solum aliquos ordines respicit. Primum scrutinium præscriptum est a *Conc. Trid. c. 5. sess. 23. de Ref.* Statuit vero s. Synodus ut qui assumendi sunt ad minores ordines afferant bonum testimonium Parochi et Magistri scholæ in qua in studiis instituuntur. Qui vero assumendi sunt ad singulos ordines majores per mensem ante ordinationem Episcopum adire debent, qui Parochi aut alteri committat, ut nominibus eorum qui volunt promoveri publice in Ecclesia propositis, diligenter inquireat a personis fide dignis de ordinandorum natalibus, ætate, moribus et vita, et litteras testimoniales ad ipsum Episcopum de perfecta inquisitione quamprimum transmittat. Exinde inducta est regula de publicationibus promovendorum in propria parochiali Ecclesia faciendis. Hæ autem publicationes ex Const. Alexandri VII. 'Apostolica sollicitudo' edita die 7. Augusti 1662. Romæ faciendæ sunt in Basilica Lateranensi et in propria cujusque promovendi parœcia.

2. Secundum scrutinium respicit scientiam. De hoc examine loquitur Tridentinum in *cap. 7. 12. et 14. dictæ sess. 23.* Ex quibus locis eruitur, Episcopum non posse ad ordines recipiendos admittere nisi eos, quos præcedente diligenti examine, adhibitis etiam sacerdotibus peritis, doctrina instructos repererit. In *cap. autem 3. sess. 23. de Ref.* Tridentinum jubet Episcopos per seipsos ordines conferre debere, et simul decernit ut si ob ægritudinem subditos ordinandos ad alios Episcopos dimittant, non aliter dimittant nisi jam probatos et examinatos. Ex quo patet, examinis onus spectare ad Episcopum proprium, nec Episcopum cui committitur ordinatio Clericorum teneri ad inquirendum circa scientiam et vitam ordinandorum; quia præsumuntur idonei qui uti tales presentantur a proprio Episcopo. Creditur enim attestationsi Episcopi ejusdem. Sed

et quæstio resoluta est a s. Cong. Conc. in responsione relata a *Fagnano in Comm. in c. 16. de Præb. n. 57.* Rem exponam ipsis *Fagnani* verbis: 'Cum fuerit quæsitum an Episcopus ordinans alienos subditos sæculares cum dimissoriis proprii Episcopi asserentis eos examinatos fuisse, et idoneos repertos, hujusmodi attestationi deferre teneatur, vel etiam possit eosdem ordinandos examinare, s. Congregatio censuit esse arbitrarium, et ideo posse sed non teneri'. — Ex dispositione speciali *cap. 12. sess. 23. de Ref.* in Tridentino etiam Regulares diligenti examini ab Episcopo instituendo subjiciuntur; nisi ex speciali privilegio post Tridentinum concessio eximantur. Hoc vero examen juxta responsum datum a Sixto V. et relatum in *Lib. 4<sup>o</sup>. Decretor. pag. 108.* Congr. Concilii, perfici debet quoad doctrinam ab eo Episcopo qui Ordines confert.

3. Tertium Scrutinium, de quo loquitur *Inn. III. in cap. un. h. t.* constituit partem liturgiæ in sacra Ordinatione Diaconorum et Presbyterorum, cum Archidiaconus Episcopum alloquens, ait: 'Postulat S. Mater Ecclesia ut etc.' et Episcopo sciscitanti utrum Archidiaconus eos dignos agnoscat, hic respondet affirmative, quantum humana fragilitas nosse sinit.

4. Proponitur in *cit. cap. un. h. t.* quæstio quid agendum in casu quo quis privata notitia cognoverit consecrandum in Episcopum esse indignum, et ratione officii in consecratione teneatur respondere de qualitate ipsius Consecrandi. Innocentius respondet 1<sup>o</sup>. interrogationem de qualitatibus non fieri in consecratione Episcopi, sed in ordinatione Diaconorum et Presbyterorum. 2<sup>o</sup>. In casu cognitæ indignitatis consecrandi in Episcopum rem esse ante consecrationem pandendam Archiepiscopo. Quæstio hinc proponitur ab auctoribus, utrum Archidiaconus sciens ex notitia privata indignum esse ordinandum in Diaconum vel Presbyterum, tuta conscientia possit de dignitate testari? Sciendum est, in antiqua praxi Archidiaconum, qui erat Officialis Episcopi, præfuisse sacris ordinationibus et examine instituto solitum fuisse cognoscere an clerici cupientes ad sacros ordines promoveri qualitatibus canonicis honestarentur vel non. Quare interrogatus ab Episcopo in die ordinationis, poterat ex certa scientia respondere de Clericorum idoneitate. Immo adnotat Innocentius Archidiaconi responsionem non secum tulisse attestationem positivam de idoneitate, sed potius eam vim habuisse ut non cognosceret promovendos esse indignos.

Verum non idem dicendum in hodierna praxi. Non enim amplius Archidiaconus est qui inquiret in mores et qualitates ordinandorum, quos aliquando nec quidem cognoscit, sed supponit jam dignos fuisse habitos a Curia episcopali. Tuta ergo conscientia potest respondere Archidiaconus Clericos ordinandos dignos esse. Quod si vero ex privata notitia agnosceret aliquem revera esse indignum sacris ordinibus, non teneretur in actu ordinationis indignitatem manifestare. Ipse enim Archidiaconus in sacra liturgia gerit personam publicam, nec uti potest privata scientia, sed retinere debet ceu idoneos, quos uti tales exceptit a Curia episcopali.

## TITULUS XIII.

## De ordinatis ab Episcopo qui renuntiavit Episcopatu.

1. Cum proprius Episcopus sit minister legitimus s. Ordinationis, quæritur in titulo præsentis quid dicendum de Episcopo qui episcopatu renuntiavit, aut in excommunicationem incidit.

Renunciatio duplex est; nempe loco seu sedi, et loco sedi et dignitati. Prior verificatur cum Episcopus ob legitimas causas ex. gr. ob odium malæ plebis vel aëris adversitatem in manibus Pontificis resignat administrationem et regimen Ecclesiæ suæ et titulum et dignitatem episcopalem sibi retinet. Per hanc renunciationem solvitur vinculum spirituale quo cum Ecclesia sua devinciebatur, et efficitur Episcopus sine Ecclesia; hinc dicitur Episcopus simpliciter titularis. Renunciatio vero sedi et dignitati procedit, cum Episcopus vel ex spiritu christianæ humilitatis et præsertim ob zelum religiosi instituti ingrediendi, vel ad præveniendam pœnam depositionis resignat ipsum episcopale munus, nomen et dignitatem. Hinc in facie Ecclesiæ remanet solummodo Presbyter quamvis subjective et in anima retineat characterem ordinis episcopalis. Episcopus qui simpliciter episcopatu renuntiavit, præsumitur renunciasset loco et sedi solummodo, nisi ejus renunciatio procedat ex crimine quod depositionem secumferret.

2. Cum Episcopus qui loco et sedi renunciavit, administrationis jure privetur, non potest licite conferre ordines sive minores sive majores nisi ex commissione Episcopi proprii Clericorum, id est ex dimissorialibus litteris et cum licentia Ordinarii illius loci ubi ordines confert. Quod si renunciaverit etiam dignitati, tunc nec cum dimissorialibus litteris poterit ordines majores licite con-

ferre; sed cum eisdem litteris dimissorialibus idest de licentia proprii Episcopi poterit conferre ordines minores. Integra hæc dispositio legitur in *c. 1. h. t.* Ratio est quia hosce Ordines minores solent ex potestate delegata conferre etiam simplices presbyteri. Quod si quis scienter fecerit se ordinari in majoribus ab Episcopo qui loco et dignitati renunciavit, absolute privatur jure exequendi receptum ordinem. Si vero ex ignorantia, dummodo non fuerit crassa et supina, poterit a proprio Episcopo dispensari et habitari ad ordinis recepti ministerium exequendum. *c. 1. h. t.*

3. In *cap. 2. h. t.* agitur de ordinatis ab excommunicato. Ad pleniorum vero rerum cognitionem proponitur resolvenda quæstio de ordinatis ab Episcopo sive hæretico sive schismatico sive excommunicato sive etiam suspenso vel interdicto.

4. Canones relati a Gratiano sub *num. 1. 2. 3. et 5. caus. 9. quæst. 1.* nullam esse et irritam pronunciant Ordinationem collatam ab excommunicatis qui nunquam, ut ait Glossa ibi, fuere catholici, idest ab hæreticis vel schismaticis. Ordinatio ab Episcopo schismatico collata dicitur etiam irrita in *c. 1. de Schismaticis*. Hæc porro expressiones certe non important intrinsicam invaliditatem ordinis collati, et nullitatem characteris. Nam 1º. Ecclesia agnovit validas ordinationes aliquarum saltem sectarum, uti sunt Ecclesia Græca schismatica et Coptica etc. 2º. In *cap. 2. h. et cap. 2. de Schismaticis* et in *can. 5. c. 9. q. 1.* misericorditer idest ex legitima dispensatione admittuntur in exercitio ordinis qui fuerunt in bona fide promoti ab hæreticis vel schismaticis. Porro ratio ignorantie ex parte promoti nihil influere potest circa valorem ordinationis schismaticorum, cum validitas vel invaliditas procedit ex potestate quam habet vel non habet hæreticus vel schismaticus minister. Dicuntur ergo irritæ et vacuæ ordinationes hæreticorum et schismaticorum 1º. de illis hæreticis qui formam substantialiter vitiarunt; 2º. de illis vero qui formam servarunt vacuæ et irritæ dicuntur quoad ordinis executionem, quemadmodum innuit *can. 5. cit. caus. 9. quæst. 1.* Ratio est quia, uti satis indicant *can. 23. caus. 1. q. 7. et can. 17. caus. 1. q. 1.*, qui amisit per hæresim vel schisma vel suspensionem usum et executionem ordinum, illam non potest aliis concedere. Hinc ordinatus ab hæretico vel schismatico admitti non potest ad exequendum ordinem, nisi ab auctoritate competenti fuerit dispensatus, ceu docet *c. 2. de schismaticis*. Hæc autem dispensatio a

proprio Episcopo dari potest si quis ignoraverit esse hæreticum vel schismaticum Episcopum a quo ordines recepit ex *c. 2. h. t.* Si vero scienter ordines susceperit a tali Episcopo, non poterit dispensari ab alio quam a Romano Pontifice arg. *c. nl. de Apostatis*, et a sensu contrario *c. 2. h. t.*

Ordinationes hæreticorum, schismaticorum etc. dici possunt vacuæ et nullius momenti etiam in sensu veteris disciplinæ, qua ordinati legitime Ecclesiæ adscribebantur, et assequebantur beneficium in titulum et locum in eadem Ecclesia. Ordinati autem ab Episcopo excommunicato, hæretico etc. nec beneficium nec locum in Ecclesia consequebantur. Quare irrita et vacua dicebatur ordinatio quoad titulum, non vero intrinsece et quoad characterem.

5. Hodie autem servanda est sanctio *Const. Apostolicæ Sedis*, in qua sub tit. de suspensionibus latæ sententiæ summo Pontifici reservatis legitimus *n. 6.* 'Suspensionem ab ordine ipso jure incurrunt, qui eundem ordinem recipere præsumserunt ab excommunicato, vel suspenso, vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab hæretico vel schismatico notorio; eum vero qui bona fide, a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.' Dispensatio hæc non videtur esse reservata summo Pontifici; nulla enim mentio fit de ejusdem reservatione. Quare dispensatio hæc fieri debet prout de jure, idest juxta *cap. 2. h. t.* a proprio Episcopo concedi posse merito defendere licet.

#### TITULUS XIV.

#### De ætate, qualitate et ordine Præficiendorum.

1. Completo tractatu de ordine et de qualitatibus ordinandorum, nunc videndum est de qualitatibus eorum qui promoventur ad Prælaturas, beneficia vel ministeria ecclesiastica.

Quænam qualitates requiruntur in promovendis ad beneficia vel ministeria ecclesiastica? In genere *can. 4. dist. 23.* tradit assumendos esse ad ecclesiastica ministeria illos 'qui digne possint dominica sacramenta tractare et melius esse Domini Sacerdotium paucos habere ministros, qui possint digne opus Dei exercere, quam multos inutiles, qui onus grave Ordinatori adducant'. Hæc regula inculcatur etiam in *cap. 14. h. t.* In specie autem